

videntiæ Dei curam etiam ad mutas & ratione destitutas animantes extendi, Psalmus 36. & 145. atque insuper ipsius Dei cum Jona Propheta colloquium testetur. Non igitur auctori integrum est homines tam vecordes ac cerebrofos irridere, quin rationem & consequentiam suam ex generali providentia Dei deductam, suomet suffragio publico deridiculo & cunctis exhibendam præbeat. Nam fundamentum erroris & vecordiæ eorum cum fundamento opinionis, quam fovet Auctor ejusdem est furfuris.

Secundum Argumentum.

Satis de generali providentia dictum esto. Altera ejus opinionis ratio est, quod internus cultus Dei, si sit verus, totam fidei salutaris essentiam in se contineat: quem cum sit invisibilis, cuilibet eorum qui propter carnale emolumentum ad alienas sectas deficiunt, & liberum & facile est sibi clam intactum relinquere, ut quamvis sese alieno regimini subjecerint, fidem salutarem integram & conscientiam suam illæsam retineant. &c. Hæc ratio non unam rem falsam sumit pro concessio: sed inprimis assertionem hanc, quod internus Dei cultus, si sit verus, totam fidei salutaris essentiam in se contineat. Nam etiam si verissimus videretur, quamdiu in occulto latet, essentiam fidei non exhauriret. Salutaris enim fides lux est, quæ non solum hominem

nem